


cum illum singularem Augusti temporibus Romæ in pessima ulcera incidisse, carnes enim utique ab ossibus abscedebant, multis frustra adhibitis medicamentis tandem præparatas Viperas ei dedisse testatur, & mira celeritate perfanatum. Ecce igitur solutioni venenatæ continuitatis, etiam si ferro venenato contingeret, rationabiliter Viperæ caro succurret, quoniam materiam, quæ unionem partium disjungit, extra corpus pellit, in totum natura ipsa unit, ablato impedimento, tutò & celeriter efficit.



QVIBVS MORBIS ANTI-  
qui carne Viperina uterentur, Au-  
ctorum sententia.

CAP. XXIII.

**D**EMOCRITUS Abderita-  
monstra ex Vipera facere  
pollicetur, ut avium ser-  
mones intelligantur. Pli-  
nius Auctor est lib. 29. c. 6. jus Vipere,  
quæ

quæ intra continentur venena, extra expellere, & rationi consonum, cognita ejus natura, & pruritum à corpore trudere pariter certum. Cineres Viperini capitis vino exceptos, aut aliquo liquore, oculis inunctis cæcipientibus conferunt. Anguineus adeps ærugini permixtus ruptas oculorum partes sanat, & ejusdem senecta exulta si affricetur oculorum claritatem inducit. Plutarchus in opusculo in quo loquaces taxantur, Plinio subscribit, eos qui aliquando Viperæ Jecur coctum assumpserint nunquam postea à serpente feriri. Idem quoque lib. 9. Bibliotheces Diodorus Siculus, confirmat. Hinc Psylli & Marfi, ut potè Jecore & carne vescentes, earum ictus lethales minimè sentiunt. Probabilique hac conjectura id affirmari posset, etiam habitu acquisito ex longo serpentum victu alexicaco, lemen in Marfis & Psyllis cum eadem facultate consistere est necesse; nec mirum si eorum filii postea à serpen-

pentibus non tangantur; & hac nota uxorum pudicitiam explorare consuevêre. Sed fallax interim est experimentum. Psylli enim & Marfi omnes eodem victu utentes, eandem habere in semine facultatem, est maxime necessarium. Cum externis populis si commiscerentur, facilè deprehendi posset; sed inter eos communi vitæ genere utentes, non interstinguit, sed hæc *πεπέργως*. Viperinam pinguedinem suffusionum initia obliterare quandoque Galenus assererat. Paulus ejus simius confirmavit. Viperæ pellis pariter combusta & in cinerem redacta, aut in pulverem, alopeciis mirificè medetur, & pilos iterum nasci cogit. Auctor ad Pisonem. *Ægineta lib. 7.* capita viperarum combusta, mola, ut scribit Aëtius sermone secundo cap. 155. de capitibus viporarum, ad cinerem deinde trita, cum lupinorum decocto temporibus illita, diuturnum oculorum fluxum sistunt. Cap. 170. caro Viperæ comesta palàm cale-



calefacit & siccat. Aristotelis vero sententia frigida & sicca est. Galenus Aristoteli libro 2. locorum affectorum subscribit, propriamque naturam frigidam & siccam esse; sed postea cum aneto & sale decoctam, calidam & siccam fieri. Scythæ caput ipsarum inter aures dissecant, & lapidem adveniunt, quem ajunt ab ea devorari, cum terrore. Hieronymus Cardanus ad Joannem Archiepiscopum Sancti Andreae, difficultate spirandi laborantem, secretum, quo nec dudum propalatum esse majus asserit, quod phtyficos, & elephanticos, & gallico morbo laborantes, quantum vis graviter, præter omnem spem, ad integram valetudinem perducit, & eosdem pingues reddit, certò deploratorum cognito, & pluries observato experimento, mox addit: Viperam illam rubram, brevem, rotundam, & crassam eligito, quæ in Gallia Cisalpina nomine miliort appellatur, abscinde extrema promo-

E re, &

re, & excoria, & intestina projice, colligito pinguedinem, & in vase vitreo, & seca in particulas, ut solemus anguillas, & decoque in aqua cum modico sale & belzoi, & ferē in fine, ut moris est, folia petrosillii addito, & in hoc jure panis madeat, quo utatur pro prandio, & pariter carne, deinde jus bibat, pinguedine spina tota seu dorsum illinatur, & itidem juncturæ, & loca pulsus usque ad septimam diem, aut plus prosequatur; æger in loco calido comorari interim debet. Materia tota mortifera per ulcuscula, & tubercula, & sudorem expellitur extra, & intus ab omnibus pectoris & pulmonis ulceribus liberi evadunt, deducta extra improba materia. Sed inunctio cum fricatione fieri debet, quò facilius per adapertos poros extrudatur malum à virtute expulsiva. Interim Medicus nihil aliud moliat. Bibat jusculum; quæ materia est multi usus, quoniam est sine fœditate & periculo.

lo. Quod si id præstat, ut constanter  
asserit Cardanus, Arcanum mirifi-  
cum & in comparabile mihi videtur.  
Sed nondum experiri licuit in de-  
ploratæ salutis pauperculo in Noso-  
comio aliquo, sed probabile admo-  
dum est.

DE OLEO VIPERINO.

CAP. XXIV.

**O**LEUM Viperinum  
à recentioribus, ut  
pinguedo, efficax  
ad multa, & variè  
parari solet, & à  
principio in peste  
inungendum esse,

mirabilemque vim habere assererat  
*Alexander Massaria Vicentinus. lib.*  
2. *Mirum in modum laudabatur à Jo-*  
*anne Andernaco coment. 2. de Me-*  
*dicina veteri & nova, dialogo 8. Ex*  
*vipereis oleum sic conficitur. R. Vi-*  
*perarum nigrarum libras tres, olci*

E 2 fesa-